AD

*ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINUM*

# D. BERNARDUM
## DE FRANCHENBERGH
ABBATEM MONASTERII DESERTINENSIS
SACRIQUE R. I. PRINCIPEM

# EPISTOLA.

Donum Auctoris Coll. Neap. Soc. Jesu 1709 -

Cat. inscript. pro Biblioth.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

*ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOMINO*

# D. BERNARDO
## DE FRANCHENBERGH
### ABBATI MONASTERII DESERTINENSIS SACRIQUE R. I. PRINCIPI

A. M. CARDINALIS QUIRINUS
*S. R. E. Bibliothecarius, & Epiſc. Brixien.*

QUid cauſæ fuerit, cur, poſtquam vegetus, hilariſque binas amplas, populoſaſque Valles, provincias quodammodo appellandas, valliumque reginas, equitando ſuperiore menſe peragraſſem, Camunicam ſcilicet, Diœceſis meæ tractum, variis ibidem Paſtoralis miniſterii officiis perfunctus, deinde Telinam, conſilium illico abjecerim ſubeundæ Rhetiæ, pervadendique ad Deſertinenſe Monaſterium, Illme ac Rme Præſul, Te certo credo ex tuorum apud Portaleſium (nam eo uſque pervectus fueram) degentium Cœnobitarum literis intellexiſſe. Equidem Solis ardor quibus diebus effervescere acrius cœpit, quam anni tempeſtas ferret, inde meis illis modo ſeptem, modo octo hora-



Digitized by Google

rum deambulationibus deinceps viſus fuit non jucunditatem dumtaxat omnem eripere poſſe,ſed gravem etiam moleſtiam afferre, niſi earum horarum periodum, frigidiuſculas nimirum unice carpendo ſeu matutinas, ſeu veſpertinas, breviare inſtituiſſem; quod tamen minime patiebantur rara quæ in Rhetiæ regionibus (ut ferunt) apparent diverſoria, apta manſiones non omnino inconcinnas, ſaltem nocturnas, iter agentibus parare. Præterea ex eodem ſolarium radiorum fervore illud etiam incommodi peregrinationi, quam ulterius propellerem, acceſſurum, omnium ferme, quotquot adeundas a me in Rheticis Alpibus vias compertas habebant, teſtimonio cognovi, nives videlicet ibidem molliores jam redditas, quam ut equorum ungulam tolerare valerent, taleſque proinde effectas, ut eadem preſſæ ſubſiderent, atque dehiſcerent, ac proinde vel ipſi ſeſſores in apertum vitæ diſcrimen conjicerentur. Vides ergo, quam juſte Tibi, ante quam Brixia diſcederem, ſcripſerim, famam mei ad Præſulatus tui ſedem itineris altiſſimos iſtos montes, ut ipſe teſtatus fueras, ſupergreſſam, non æque mihi arridere, ac prorſus humilis placuiſſet, quæ nimirum humili loco reperet, unde ejus ego veſtigia perſequutus, ad Monaſterii tui fines tutus properarem.

Hæc quum legeris, forte putabis, fore ut ego proximi Autumni tempeſtatem, quum ſcilicet tam æſtivi caloris, quam nivium impedimenta abſceſ-

ſe-

ſerint, præſtolatus, Rhetico tunc itineri me denuo committam, cupidus metæ, a qua ſemel deflexi, pertingendæ. At contra accipe quod ingenue Tibi profiteri in animum induxi. Omnem ego inpoſterum cogitationem abijciam ad Deſertinenſe Cœnobium accedendi, niſi ipſe prius ad inviſendam Brixiam commeaveris. Neque vero, dum id a Te fieri enixe peto, rem difficilem poſtulare mihi videor; quandoquidem captum a Te conſilium in illis ædibus, quas in Sondrii oppido nuper comparaſti, Collegium inſtituendi ad Vallis Telinæ, & Rhetiæ etiam juventutem bonis literis per tuos iſtos Cœnobitas imbuendam, Te abſque ulla dubitatione exſtimulabit, imo compellet, ut eo quam primum proficiſcaris, oculis tuis inſpecturus, num invecta ibidem Scholarum ratio votis tuis exacte reſpondeat, adeoque conjungat cultum literarum cum Monaſticæ obſervantiæ emolumentis; nam ad iſta quoque Te in opere illo ſpectaſſe mihi perſuadet egregium ſtudium, quo ſuſcepiſti *Deſertum*, unde Monaſterio tuo nomen, in hortum concluſum, ſuaviſſimis floribus, quin & lectiſſimorum fructuum copia redundantem convertere.

Tuus autem ad illud primarium Telinæ oppidum adventus ut mihi primum innotuerit, pro certo habeas, me ibidem illicò adfuturum, quo officia mea præſens Tibi deferam, & paratum præſertim exhibeam, Te Brixiam brevi trium dierum itinere per Vallem Camunicam, ſemi-

ta non quidem plana, ſed Rheticis jugis multo minus aſpera, deducere in Ædes Epiſcopales, ſibi ipſis tanto hoſpite excepto mirum in modum gratulaturas. Neque diſſimulabo, occaſionem hanc, quam ipſe præbueris, repetendæ Vallis Telinæ gratam mihi admodum futuram, ea potiſſimum de cauſa, ut rurſus procumbens ante B. Mariæ Virginis Aram, ſingulari Chriſtifidelium pietate prope Tirani oppidum exultam, novas preces effundam pro Catholicæ rei in iis partibus incolumitate, ac proſperitate; quandoquidem Sanctiſſimam Dei Matrem, quæ cunctas hæreſes in univerſo mundo patrocinio ſuo interemiſſe Eccleſiæ præconio celebratur, Val-Telinenſibus adverſus earundem impetum tuendis ſcutum opponere conſueviſſe, vel divina oſtenta, ut perhibent, quandoque commonſtrarunt. Sacris in eo Templo, Apoſtolicæ Sedi immediate ſubjecto, iterum, iterumque operandi deſiderio mihi pectus vehementer incaluit, poſtquam oculis meis uſurpare mihi contigit authenticum Urbani VIII. P. M. Diploma ad eos populos exaratum, quo comprobatur, eidem Sedi maximopere cordi eſſe eorundem religionem, ac felicem in rebus omnibus ſtatum. En Tibi Diplomatis illius initium: *Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Nunquam conqueri poteritis in præſenti rerum diſcrimine a Pontificibus Romanis deſertos fuiſſe Val-Telinenſes aſſertores libertatis, & propugnatores religionis. Tanti*

Digitized by Google

*ti enim regionem iſtam & locorum opportunitate, & incolarum virtute fieri videmus, ut unius Vallis poſſeſſio potentiſſimorum Regum concordiam dirimere, & ferociſſimarum nationum arma committere poſſit. Quare ubi ad hanc terrarum Speculam pervenimus, primas ineuntis Pontificatus curas Val-Telina ſibi popoſcit. Cum enim febri æſtuantes in lecto tunc jaceremus, ita de veſtris periculis ſolliciti eramus, ut pene valetudinis noſtræ oblviſceremur. Scrutator cordium Deus teſtis eſt, majori nobis curæ fuiſſe regionis iſtius ſalutem, quam vitæ noſtræ incolumitatem. Itaque Paſtoralis charitatis vim intra domeſtici cubiculi fines continere non potuimus, & antequam convaleſceremus, Regios Oratores accerſiri juſſimus, ut opportunum remedium, & præſidium Italicæ tranquillitati, & rebus veſtris quam primum inveniretur &c.* Quibus, amabo, & verbis, & factis luculentius teſtari poterat Urbanus ſuam, ſuæque Sedis erga Val-Telinenſes charitatem?

Habes ergo, Illuſtriſſime Domine, tam cauſam, quæ me adegit, ut Rhetis a limine tantum ſalutatis ad Cenomanos meos regrederer, quam propoſitum, quod modo ſuſcipio, revera adeundi alia vice Deſertinenſes tuos, poſtquam ipſe Brixiam adveniens, hoc facto edocueris, non adeo magnum inter nos, & vos chaos eſſe firmatum, ut mutuis hiſce commigrationibus aditus, ſicuti quidam ſibi fingunt, non pateat. Ne autem Epiſtola mea iſta ab aliarum, quas quinque Decades dono Tibi

tranſmiſſæ complectuntur, forma, ac ſtylo diſſentiat, ſtatui hoc loco ſubjungere literariæ occupationis, qua nuperrimum meum iter de more oblectavi, notitiam. Quum in eo eſſem, ut ipſum ſuſciperem, ab Albritio Veneto Bibliopola accepi Volumen ante quinque annos Tiguri impreſſum, cui titulus: *Epiſtolæ ab Eccleſiæ Helveticæ Reformatoribus, vel ad eos ſcriptæ. Centuria Prima. Ex Autographis recenſuit ac edidit Johannes Conradus Fueslinus.* Idoneum hoc mihi viſum eſt, cui vacuas ejuſdem itineris, ſi non ad Helvetios ipſos, ad populos tamen iiſdem finitimos, ac fœderatos converſi, horas impenderem. Ipſum ergo meæ viatoriæ ſupellectili adjunxi, ut mihi ex equo deſcendenti ad manus eſſet, feſſoque ſolamen dulce largiretur. Eo autem avidius, atque attentius oculos identidem in illud figebam, quod earundem Epiſtolarum Editor initio Præfationis, collaudato Epiſtolico ſcribendi genere, quod *in præſentiarum* (ait ipſe) *quibuſdam adeo placuit, ut mos invaluerit, libros hac forma vulgare, eſt enim Epiſtolaris ſermo ſuavis, & ad animos inſtruendos aptus*, operæ ſuæ pretium in coacervandis Epiſtolis, quas publica luce donabat, his verbis mihi commendaſſet: *Reformatorum Epiſtolæ dotem ſingularem habent, ob quam mereant, ut ex tenebris, quibus hactenus oppreſſæ fuerunt, liberentur. Cordatiſſimi illi Viri res maximas geſſerunt &c.* Et ad eum ipſum finem his ille verbis in calce ejuſdem Præfationis uſus fuiſſet: *Gra-*

Digitized by Google

*Gratum erit igitur Hiſtoriæ cultoribus, hunc theſaurum omnium uſui committi, quia ita confirmabuntur in multis, quæ excellentiſſimi hi viri* (memoraverat paulo ante Hottingerum, Patrem, & Filium, & Joh. Henricum Ottium) *prodiderunt. Præterea videbunt, plurima ex eo expiſcanda eſſe, quæ illi, aut præterierunt, aut ſuo propoſito non convenientia eſſe duxerunt. Addo, quod ſexcentas Epiſtolas collegerim, quarum illi non meminerint. Quod ſi quis ad novam Hiſtoriam Reformationis Eccleſiaſticæ condendam animum appulerit, is demum pretium operæ meæ ſenſerit*. Referam modo quidnam ſit quod ex eo *theſauro* potiſſimum *expiſcari* mihi contigerit, quænam res illæ *maximæ*, quas geſtas comperi ab iis *cordatiſſimis* Viris. Utramque, ut dici ſolet, paginam facere in ea Collectione deprehendi diſcordias inter Viros illos ſubortas, & quidem acerbiſſimas, atrociſſimaſque, dum ſinguli eo ſuapte natura inclinarent, ut ſumma pervicacia propugnare contenderent quaſcumque comminiſcerentur novas loquendi, & explicandi formulas, quaſcumque fingerent chimæras. Tam inſanæ altercandi, & ſeſe lacerandi libidinis ſpecimen præbebunt, quæ ſtatim ſubdo. Ad Huldricum ZWinglium ita ſcribit Valentinus Tſchudius Epiſt. XIV. Claronæ 15. Mart. 1530. *Video .... irrepere neglectum Dei, deſpectum Magiſtratuum, violationem judiciorum, vitam quoque licentioſam, nam tanto odio exacerbatis animis perit æquitas, charitas extinguitur, & cum*

*quiſ-*

Digitized by Google

*quiſque ſuæ voluntati ſatisfacere ſtudet, ut quod ipſi viſum fuerit extollatur, damnum quod incurrimus non ſentit. Quid vero populo tam hoſtiliter diviſo ultra expectandum, quam deſolatio?* In Epiſtola autem LIII. quæ eſt Jacobi Bedroti ad Joh. Gaſtium, hæc habentur: *Paradoxis, aſſertionibus, criminationibus, recriminationibus, apologiis, antapologiis mundus impletur, veritatis tum inquirendæ, tum aſſerendæ prætextu, atque interim nulla re alia gravius hæc naufragium facit, quam hujuſmodi contentioſis, & fermento monſtroſorum affectuum vitiatis ſcriptis. Tantum enim abeſt, ut hinc eluceſcat clarius, ut magis, ac magis fiat dubia, atque adeo, juxta Mimum, altercando tandem amittatur.* Quam grave autem detrimentum in ipſam morum diſciplinam importarent diſſidia iſta, fidem facit Ep.LIV.in qua Rud. Gualterus ad Bullingerum Marpurgæ: *Diſciplina* (ait) *morum hic talis eſt, qualem Bacchadibus ſuis Lyæus, & Cupidinibus Venus præſcripſit. Inebriari, vomere, hinc inde per plateas vacillantem conſpici, non pudere, imo laus, riſus, jocuſque eſt. Si ſtudioſum videas, militem ne, an Muſis initiatum dubitabis. Sed cur non his uterentur moribus diſcipuli, cum maxima Profeſſorum pars hæc ſoleat? Membrorum languorem capitis vertigo parit.*

Fanaticum furorem, qui *cordatiſſimos* eos Viros agebat, abnormia, & dictu horrenda ſibi invicem docere exprobrantes, unde tota Religio Chriſti riſui infidelium exponeretur, nulla ratione diſſimu-

mulare valens earum Epiſtolarum Editor, turpi eo crimine ZWinglianos, Lutheranos, Calvinianoſque abſque fuco condemnat, quin calumniarum, & blaſphemiarum multarum eos omnes reos facit in Præfatione illa ſua; imo ad ejuſdem pag. XVI. & XVII. ex libro Johannis Jezleri Theologi Schaffhuſiani, qui prodiit Tiguri an. 1584. verba quædam eidem exſcribere libuit, unde intelligimus, immoderationem illam ingeniorum eo proceſſiſſe, ut qui ſe Reformatos, & Evangelicos dicerent, ſe ſe dicere non dubitarent, *omnium mortalium, quos unquam terra ſuſtinuerit, longe deterrimos, nec non in ſempiternum damnatos*. Hæc omnia ingenue Editor faſſus, non ideo Magiſtros illos ſuos fraudandos reputavit encomiis, eos ſcilicet egregiam laudem, & ſpolia ampla tuliſſe ratus, quod *ignorantiam* (ait ipſe) *&, quæ ipſi facile conjuncta eſt, ſuperſtitionem, totum orbem libere pervagantes, omniaque tyrannice ſubvertentes, extirparunt, & ſuaviſſimam veritatis lucem protraxerunt*. Et paulo poſt: *Lutherus, & ZWinglius ſingulari Dei beneficio ad magnum hoc opus perficiendum excitati ſunt, quorum ille in Saxonia, hic vero in Helvetia Eccleſiam Dei perpurgare niſus eſt. Horum exemplo commoti plurimi pii & eruditi Viri in Germania, Gallia, Italia, Polonia, Holandia, Angliaque, contra inveteratam ſuperſtitionem inſurrexerunt, & eam ſociatis viribus impugnaverunt*. Quis unquam credat, ſingulari Dei beneficio ad magnum reformandæ Ec-

cle-

Digitized by Google

eleſiæ opus excitatos fuiſſe hujuſmodi homines? poſtquam Editor, de quo loquimur, nos ita edocuit: *Quid in his omnibus quivis habuerit conſilii, quibuſve rationibus moti fuerint, non alio modo facilius diſcendum eſt, quam ex illorum Epiſtolis.* Sui autem hujuſce dicti hanc ille rationem reddit: *Has Epiſtolas perlecturi ad arcana quæque penetrabunt, in iis enim Reformatores interioris notæ amicis, apud quos nec fuco, nec fallaciis opus eſt, mentis ſuæ cogitata explicarunt, & in ſinum quaſi effuderunt.* Quis, iterum dico, illud unquam credat? quum eæ ipſæ Epiſtolæ, teſte earundem Editore, iis conviciis, & deliriis ſcateant, ad quæ ſecum invicem dilapſi Reformatos, & Evangelicos ſe jactantes, *omnia mandatis Chriſti contraria faciebant.*

Quæ omnia quum ex eo libro inter Vallem Telinam pererrandam adnotarem, frequens animo meo occurrebat imago Epiſtolarum, quarum non unam, ſed plures Centurias jam evulgaveram, pluresque adhuc evulgaturus forem in Editione, cui modo incumbo, qua nempe ſeu conſcriptas a Card. Polo, ſeu ad ipſum exaratas complecti aggreſſus ſum. Cogitabam nimirum, quam diſpar hiſce color foret ab eo, quem editæ a Fueſlino Tiguri Epiſtolæ præferunt, atque adeo diſpar, ut quas ipſe collegi, propterea quod nihil niſi ex Chriſtianæ virtutis norma contineant, quotquot eas perlegerint & admirationem, & ſuaviſſimos pietatis ſenſus inſinuari ſibi ſentiant, neceſſe ſit; Fueſlini vero ple-

pleræque illæ, ceu fanaticorum ingeniorum fœtus, commiſerationem unice, ac ſtomachum promereantur. Hujuſcemodi cogitatum haudquaquam intra mentis meæ penetrale, vel dum iter illud haberem, ſubſtitit, ſed identidem communicare illud volupe mihi fuit cum aliquot, qui ſe ſe mihi, ut primo Val-Telinenſes fines attigi, ſocios ejuſdem itineris ſingulari cum comitate adjunxerant, & præſertim cum Viris admodum doctis, nimirum Abbate Carolo Joſepho Mengotto, Cathedralis Curienſis Præpoſito, & Petro Angelo Lavizario, Canonico Collegiatæ oppidi Mazo. Ambobus enim hiſce Achatibus comitatus totam eam Vallem perambulavi; imo ultra ipſam progreſſus ſum, ab una parte Peſclavium uſque, Rheticæ popularis ditionis oppidum, & ab alia uſque Bormium, eidem ditioni ſubditum Comitatum, Balneis percelebrem, quæ pariter inviſi, per arduam adeo ſemitam gradiens, ut fateri opus habuerim, me neſcire, quænam foret tam gravis ægritudo, unde adduci poſſem ad tantam viæ aſperitatem iterum devorandam. Viri illi, & una ſimul perilluſtris Comes Carolus de Salice cum magna comitantium turba me inſuper ad Vallis Camunicæ fines reducere humaniſſime ſtatuerant; at Bucephali, ſeu Pegaſi mei virtus effecit, ut vix ingreſſus callem, cui nomen *gli Zapelli di Aprica* (haud minus infamem in iis montibus, quam in Adriatico ſcopuli Acroceraunii, quemque propterea S. Carolus, quemadmodum

dum & reliquum maxima ex parte valde præceps iter ab Edulo Tiranum uſque, pedibus conficere coactus fuiſſe fertur) memet agnoſcerem disjunctum ab eorundem, quin & familiarium etiam meorum conſortio, utque continenti equitatione Edulum uſque tranſvolarem, uno tantum Canonico Tirani ſociatus; quo factum eſt, ut incaſſum caderet comitas illa, qua eoſdem Viros, ceu officiorum ſuorum omnium erga me coronide, magis magiſque animum meum ſibi obſtrinxiſſe confiteor, & præſertim Comitem de Salice, quem poſtea accepi liberali voluntate curaſſe, ut in Apricæ ſtatione prandium inſtrueretur, quo reficerer, ſi viribus, animoque in conſcendendo clivum illum deficiens, aliquantulum interquieſcere adigerer.

Itaque Mengottus, & Lavizarius, conſcii Epiſtolarum, quam adorno, Editionis, harum cum Fueſliniana Centuria comparationem valde Catholicæ rei profuturam ſtatim intellexerunt, probaruntque conſilium meum Heterodoxos quam citius Scripto aliquo (cujuſmodi fore decrevi Epiſtolam iſtam) provocandi, ut quemadmodum ipſe piacula, quibus ea Centuria ſcatet, nudavi, & in medium protuli, iidem par pari, Epiſtolis, quæ in mea illa Editione afferuntur, exactiſſime perpenſis, referre conentur; ſin vero in hiſce nil niſi innoxium, caſtum, & ſanctum deprehenderint, earum Auctoribus, ſcilicet Romanæ Eccleſiæ Primatibus, divinæ gratiæ lumen affulſiſſe, ſuos autem

Ma-

Digitized by Google

Magiſtros ſpiritum erroris obcœcaſſe tandem fateantur. Flagrat uterque deſiderio patriis in finibus Orthodoxam Religionem juvandi,quod Mengottus comprobabit, ut primo in lucem efferet Volumen a ſe compoſitum, atque a Romanis Cenſoribus a S.Congreg. Propagandæ Fidei ſelectis recognitum, ac commendatum; Lavizatius autem abunde jam comprobavit in ſua Val-Telinenſi Hiſtoria ante XXX. annos evulgata. Hic autographum Urbani VIII. ſuperius recitatum mihi legendum obtulit, dum ſuo tecto hoſpitem ſumma cum benevolentia excepiſſet, quam ipſam exhibuit Peſclavii, & Tirani Mengottus; indeque inter nos fuſius data copia fandi de rebus tam ſacris, quam politicis Vallis illius.Profeſſi ſunt illi inter cætera meum ad eandem adventum earum gentium religioni quidquam emolumenti afferre poſſe, quod eo prævertiſſet fama Paſtoralis miniſterii in Valle Camunica a me tertia vice poſt initum Epiſcopatum obiti, nullo ad eam cauſam compendio laboris quæſito, non lectica, non ſella geſtatoria adhibita, ſed equo ſemper inſcenſo; quam iter habendi rationem a S.R. E. Cardinale, eoque non parum ætate provecto, ſervari, popularibus ſuis admirationem haud levem gignere iidem affirmabant, quod proprios Antiſtites,Comenſes ſcilicet Epiſcopos,quoties ſacram Viſitationem peragerent, mollius devehi in more habere conſpexiſſent.Ego viciſſim ambos illos hoſpites meos certiores facere non omiſi cujuſdam

Epi-

Epiſtolæ, quæ in Fueſlini Centuria num. LXXXI. extabat, quod tota ſtatum Religionis in Valle Telina deſcriberet. Scripta ea viſitur ab Julio Mediolanenſe ex Peſclavio IV. Non. Novembr. 1555. ad Henricum Bullingerum, atque ita incipit: *Superiore menſe Junii cum eſſem Sondrii, quod eſt primarium Vallis Telinæ oppidum, accepi tuas ſuaviſſimas literas, mi Frater colende, ac Domine plurimum ſuſpiciende, quæ mirifice ſublevarunt animum innumeris moleſtiis propter nonnullos ſeditioſos, & contumaces perculſum, & conſternatum. Ea enim eſt, ut ſcis, paſtorum conditio, ne dicam fatalis quædam ſors, ut in dies, & horas multos cogantur ſubire labores &c.* Ei deinde gratias agit, quod Tigurini Locarnenſes propter Chriſtum exules excepiſſent. Moxque ſubdit: *Cum poſtea Sondrio reverſus eſſem Tiranum, hoc menſe Octobri allatæ mihi fuerunt ſecundæ tuæ literæ refertæ quidem & fraterna dilectione, & Eccleſiaſtica diſciplina, quibus ſignificabas, Lælium Senenſem jampridem a nobis ſuſpectum, & a multis bonis fratribus habitum pro manifeſto Anabaptiſta, coram te non tantum profeſſum fuiſſe bonam confeſſionem, ſed & propria manu ſubſcripſiſſe ſanæ doctrinæ, quæ ſemper fuit in Catholica Eccleſia.* Monet tamen Bullingerum, Lælium Camillo Renato dediſſe manus, ita ut non erubuerit, Genevæ, Clavenæ, & alibi ſtare a parte Anabaptiſtarum, *quæ res* (inquit) *apud nos tanti eſt momenti, ut nullus relinquatur excuſationi prætextus; arbi-*

Digitized by Google

*arbitror enim, te non ignorare callidi, & tortuoſi Camilli ingenium, & mores*. Tandem Epiſtolam his verbis abſolvit: *Cæterum Eccleſiæ noſtræ Vallis Telinæ, quæ ſunt Peſclavii, Tirani, Tilii, & Sondrii pergunt concordes in veteri, & ſimpliciſſima doctrina, quæ ab ætate Apoſtolorum apud omnes Eccleſias recepta fuit, & hodie Dei gratia ſine controverſia docetur in veſtræ Helvetiæ, & noſtræ Rhetiæ Eccleſiis*. Imo miſere defecerat eo tempore, quemadmodum in Helvetiæ, & Rhetiæ, ita in Vallis Telinæ Eccleſiis Apoſtolica doctrina; hæcque in Valle iſta maximo Dei beneficio revixit an. 1620. ut accurate proditur in laudata Lavizarii Hiſtoria, vigetque adhuc ita in eorum populorum corde radicitus infixa, ut jure optimo hac quoque ætate, velut olim ab Urbano VIII. Pont. Max. *Propugnatores Religionis* appellari mereantur.

Præclarum hoc eorundem ſtudium mihi inter ipſos agenti ſe ſe pluribus argumentis conſpicuum præbuit; nam ad Aram B. Mariæ Virginis prope Tiranum dum Sacrum facerem, incredibilis prorſus multitudo eo confluere, adeo ut ampliſſimi ejus Templi ambitus eidem capiendæ minime ſufficeret; quocumque pergerem, pagi, vicique, & compita lætanti cœtu undique oppleri; Turres cunctæ feſtivo æris ſonitu reboare; atque hæc omnia non alia profecto de cauſa, quam ex impenſo Val-Telinenſium erga Sedem Apoſtolicam obſequio, geſtientibus ſingulis ante ejuſdem Cardi-

nem, quem coram adeſſe fors tulerat, procumbere, & æque cupide ad hunc ſalutandum ſe ſe effundere, ac Romani olim ad Sæculares ludos ſpectandos, quos ex veteri formula, *nemo vidiſſet antea, aut viſurus unquam foret*. Illuſtre præterea argumentum eorum populorum Religionis mihi ſuppeditavit eorundem, quam detexi, firma ſententia de Feſtorum dierum cultu, quem alicubi hac tempeſtate periclitari inaudierant, ſancte patria in regione retinendo. Ex ſincero Catholicæ Fidei ſtudio ab omni in ea re novitate ipſos abhorrere edocuit me per literas eorum Hiſtoricus ſuperius laudatus, & ſemper honoris cauſa nominandus, ita ſcribens: *Se ſi levaſſero alcune Feſte, penſerebbono di trionfar i Proteſtanti in lor cuore, e ne farebbono certamente motteggi, quaſi che bel bello s'andiamo accoſtando ad eſſi loro, ſcotendo le ſuperſtizioni. Molto più poi ne inſulterebbono al veder rotta nella Chieſa Romana quella bella, quella venerabile uniformità di Rito, che più non potrebbe ſuſſiſtere. Ci fanno i nemici del fracaſſo adoſſo per i partiti sì caldi, e sì oppoſti delle Scuole teologiche: quanto più ne farebbono al vederci neppur d'accordo nel tempo da dedicarſi a Dio? In una Dioceſi ribollire le Opere ſervili nel medeſimo giorno, che in un altra feſteggiaſi a preſcrizione di antica, immemorabile, ed univerſale conſuetudine. Son queſti, o nò i Cattolici di prima? han mutato Religione? Que' Cattolici, che tanto ſi vantavano di Antichità, e noi ſtrapazzano di Novatori?*

*Pa-*

Digitized by Google

*Parerebbe loro la noſtra una Roma gentileſca, „Quæ omnium gentium ſerviebat erroribus, cum pene omnibus dominaretur gentibus. „ In vece del baſton di comando da imporre il culto uniforme, eccola diſtribuir i Numi a guſto delle ſoggette Provincie. Il tutto direbbono, e penſerebbono a diſragione, ma non ne laſcerebbono cadere l'incentivo a lor caro. Tanto mi preſenta il noſtro meridiano, che ne coſtituiſce in faccia a popoli d'altra Communione.* Sciſcitandi a docto, pioque Scriptore iſto, quiſnam foret Val-Telinenſium ſenſus de Feſtorum diſciplina ſeu ſervanda, ſeu innovanda, occaſio exorta mihi fuerat ex Epiſtola Paſtorali Epiſcopi Anagnini, quæ ad me pervenit, dum in ea Valle verſarer, inſcribiturque, *Lettera Paſtorale di Monſig. Gio. Antonio Bacchetoni, Veſcovo d'Anagni al ſuo Capitolo e Clero ſull'Oſſervanza de' Giorni Feſtivi. Roma* 1747. Adeo me ejus lectio delectavit, ut ſemel iterumque paginas, quas manu gerebam, exoſculatus fuerim, quod iis ſenſibus refertas intellexerim, unde inter pretioſa Paſtoralis ſollicitudinis monumenta inſignem locum nanciſci jure optimo poſſint. Eandem aliis etiam, qui circum me aderant, dum faſciculum illum accepi, legendam mox præbui, indeque plurimus fuit inter nos de eo argumento ſermo inſtitutus. Placet hic vero unam & alteram periocham ex ea recitare, quarum, ingenue fatebor, valde gloriarer ſi auctor fuiſſem in iis Epiſtolis, queis idem argumentum pertractavi. *A promovere il*

*culto de' Dì Feſtivi, e la venerazione de' ſacri Tempj, ognuno s'imagini dette a ſe le parole di Paolo Apoſtolo: „Argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina;„ e ciaſcheduno poi rifletta per ſua conſolazione, che ſe mai vedeſſe riuſcire inutile il ſuo zelo, non per queſto perderà il ſuo premio: ſarà bensì all' ora ogni voſtra fatica di materia di maggior condanna a chi non vorrà emendarſi, ma tal ſia di lui, ſe le Feſte iſtituite dalla Chieſa per la ſalute dell' Anime, ſaranno la ſua rovina, come ſono la rovina di tanti i digiuni mal' oſſervati, i Sacramenti ricevuti con mille ſacrilegj, e così tant' altri Precetti, o diſprezzati, o non atteſi: e l' iſteſſo Gesù Criſto, di cui ſtà ſcritto nel ſanto Vangelo, che, „eſt poſitus in ruinam multorum.„ Anzi a dirvi ancora un altro noſtro ſentimento, quanto temiamo, che per caſtigo di sì fatti Criſtiani „ad duritiam cordis,„ Iddio terribile ne' ſuoi occulti giudicj, non permetta alla fine, che ſi tolgano queſte Feſte, di cui fin' ora abbiamo parlato: onde ſe le Anime ſono quelle vigne elette piantate dal Signore, ed inaffiate col Divin Sangue, e circondate come da forte ſiepe dalla Protezione de' Santi, di cui la Chieſa ne celebra le Solennità, può ſuccedere beniſſimo il caſo, che tolgaſi queſta ſiepe, ſi levino le Feſte, e ſi perda il di loro Patrocinio: „Auferam ſepem ejus, & erit in direptionem.„* Gloriarer, inquam, ſi mihi Epiſtolas illas texenti propheticæ hujuſcemodi ſententiæ in mentem veniſſent; at contra immenſus me ureret dolor, ſi turbo ille Do-

Digitized by Google

Dominicæ indignationis meo miniſterio egrederetur, & erumperet in caput populorum, quibus præſum ſummus Sacerdos, ac proinde reconciliationis, non vero iracundiæ Divinæ miniſter. Lavizarii igitur ſuffragio adſtipulatur Epiſtola Paſtoralis Epiſcopi Anagnini; at multo adhuc preſſius idipſum præſtat Præfatio, quæ appoſita legitur brevi cuidam ſcripto meo in cauſa Feſtorum dierum, cui titulus *Riſtretto*, Auguſtæ Vindelicorum Latine recuſo a Sereniſſimi Principis, & Epiſcopi Auguſtani typographo, nam ibi habetur: *Non ſine magno bonorum dolore de obtento a Firmiano Archiepiſcopo Indulto heterodoxi etiam in impreſſis Novellis gaudium demonſtrarunt .... Itaque cum nuper ſparſim antea propoſita argumenta, quæ ad dierum Feſtorum conſervationem conferebant, in quoddam Compendium collecta typis fuerint edita, magnam nos apud quamplurimos inituros eſſe gratiam arbitrati ſumus, ſi ex Italico ſermone verſum illud Latine ederemus.*

Atque hi ſunt, Abbas Clariſſime, literariæ occupationis fructus, quos mea Val-Telinenſis decem dierum peregrinatio procreavit; Val-Telinenſis, inquam, nam trium hebdomadarum, quas in Valle Camunica luſtranda tranſegi, horas omnes eruditis lectionibus inſumendas Pontificalis liber unus ſibi vindicavit. Hunc ocreis vix poſitis Cæremoniarum Magiſter manibus meis offerre ſolebat, moxque, iſto præeunte, cum exiguo meo comita-

tatu, duûm ſcilicet tantum familiarium, duûmque ſervorum ( nec enim Canonicos, aut Epiſcopalis Curiæ Miniſtros in hujuſcemodi minoribus Diœceſis Viſitationibus ſocios adſciſcere conſuevi ) pagi, ad quam diverti, Eccleſiam ingreſſus, ſacris adminiſtrandis incumbebam; præſertim vero Sacramento Confirmationis impertiendo innumeræ utique plebi. Hanc perlibenter Brixia adeunda ob eam unctionem in Pentecoſtes Feſtivitatibus recipiendam liberare ſatago, quod acceſſus ille puerorum, & puellarum una cum parentibus, ac adjutoribus etiam, cujuſmodi ejus Sacramenti ritus adeſſe præſcribit, ruſticanis hominibus præter impenſæ, & corporis incommodum, animæ detrimentum progignere poſſit. Eæ ſacræ inunctiones ad quem numerum tribus illis hebdomadis aſcendiſſent a Magiſtro Cæremoniarum percunctatus, reſponſum iſtud accepi, *Duodecim millia ſignati*. Quo ipſo die Edulum e Valle Telina redux adventaveram, legati pagorum Vezæ, & Pontis-lignei eo acceſſerunt, ac rogarunt, ut ejuſdem Sacramenti adminiſtrandi gratia me ad ipſorum quoque fines, Germaniæ conterminos, transferrem; quod nulla ratione, etſi Edulo Brixiam recta properare ſtatuiſſem, abnui, ad memoriam revocans Divini Servatoris illud, *Miſereor ſuper turbam, quia ſuſtinent me*. Accidit vero, ut qui Val-Telinenſis ſolis ardorem, veluti ſuperius dixi, expertus fueram, contra binis diebus, quos ad vicos illos inviſendos impendi, ni-

vis

vis e cœlo ingruentis flocculos experiri mihi contigerit. Officium iſtud charitatis Camunicis meis populis præſtitum, etſi admodum laborioſum, eo Paſtoralia mea præcordia voluptatis ſenſu affecit, ut ad hanc Urbem ex regione illa reverſus, ad extremas alias Diœceſis meæ oras, fines nimirum Mantuanos, & Cremonenſes, biduo tantum interpoſito, tranſmeaverim, ubi pariter Chriſmati diſtribuendo hebdomadam contrivi; tantaque gentium copia eo circumfluxit, ut rurſus Cæremoniarum Magiſter meis auribus inſonuerit, *Duodecim millia ſignati*. Labor iſte gnaviter in hunc modum a me pagatim ſuſceptus (fatebor) eum haud mediocriter allevavit, qui de more diebus Pentecoſtes jam jam lapſis ſubeundus mihi fuit in Urbe, nam rusticæ multitudinis, quæ ad iſtam eo tempore advenit, raritas conſpecta eſt omnino inſolens, cui tamen ut ſatisfacerem, haud me piguit, etſi ſacris aliis muniis eo triduo occupatum, ſexies in Cathedralem Ædem deſcendere. Hæc omnia a me, cui ſeptuageſima propius inſtat jam meſſis, dum vegeto corpore, firmiſque viribus præſtari poſſe ſentio, Divinæ miſericordiæ acceptum unice refero, quod laborum ſeries non intermiſſa, potiusquam lene otium, quam jucunda ad captandas auras ambulatio, quam dulcis convictus, quam amœna ruſticatio, animum meum ſaturet. Crederes ne? His ipſis diebus, quibus hæc ſcribo, perlata ad me eſt Epiſtola, typis impreſſa, Joh. Rudolphi Kieslingii, Publici Profeſ-

ſoris

ſoris Lipſienſis, qua librum meum, ut antea pollicitus fuerat, de Geſtis Pauli III. Pont. Max. ad examen revocat; in illius autem Procemio eam ipſam (neſcio unde ſibi compertam) vitæ traducendæ rationem, *ejuratis, quibus alii litant, mundi deliciis*, mihi honorificis admodum verbis gratulatur. Quin prolixo animo accipiam officium iſtud a famoſo hiſce temporibus Romanæ Sedis obtrectatore, facere non poſſum, & quin ſimul fatear, jamdiu menti meæ inſidere auream illam Venuſini Poetæ ſententiam his verſibus declaratam:

*Non poſſidentem multa vocaveris*
*Recte beatum, rectius occupem*
*Nomen beati, ſi Deorum*
*Muneribus ſapienter utar.*

Kieslingianam eam lucubrationem jam animo meo conſtitui Tomo tertio Collectionis Epiſtolarum Reginaldi Poli propediem edendo præmittere, interpoſitis meis Animadverſionibus; qua ratione in fronte Tomi primi evulgavi Epiſtolam ad me conſcriptam ab Joh. Georgio Schelhornio, Memingenſi Bibliothecario. In iſtis autem diligenter curabo, ut ſuffragio, quod de meo libro illo tulit Vir doctiſſimus, ſapientiſſimuſque Jo. Antonius Saxius, Ambroſianæ Bibliothecarius, ſua maneat authoritas. Probavit ille curam a me ibi ſuſceptam propugnandi ejus Pontificis Geſta, *quæ nemo hactenus æqua lance expendere, ac vindicare ſuſceperit;* idque proferendo e tenebris, ut feci, *teſtimonia*
*adeo*

*adeo clara, & ſincera Cardinalium integerrimæ authoritatis, ut nullus contraire in poſterum valeat, niſi qui contra impetum fluminis niti velit, atque in meridie cæcutire.* Gaudeo igitur Lipſienſem Profeſſorem ſuſcepiſſe libellum illum meum redarguendi provinciam, quam dolebam a Meningenſi Bibliothecario recuſatam fuiſſe. Hunc etenim jam a biennio provocavi, imo rogavi Scripto in publicam lucem edito, ut, quoniam mihi per literas ſignificaverat, ſibi non deeſſe quæ de Paulo III. e genuinis hiſtoriarum monumentis regerere poſſet, id libere præſtaret, ac proinde proferret *quæcumque immortalibus* ( hiſce verbis ſum uſus in eo Scripto) *ejus Pontificis laudibus adverſantia e Bibliothecæ ſuæ armariis depromere potis fuiſſet*. Itaque curabo, ut dixi, ex meis illis Animadverſionibus æquos Lectores intelligere, operam, quam in eo argumento diſcutiendo collocare renuit homo iſte, Commilitonem ſuum eodem animoſiorem perdidiſſe.

Unum ſupereſt, de quo certior a me fias, ante quam Epiſtolam iſtam concludam; triumphaſſe videlicet Lavizarium meum, quod recens ei literas dederis humanis ſenſibus refertas, ipſum inter cætera hortatus, ut una mecum Deſertinenſe iter ſuſciperet, ſubdenſque, Te orare Deum, *ut Angelus deducat Angelum* ( ad nomen utriuſque noſtrûm alludis ) *& Angelus ejus comitetur vobiſcum*. Triumphavit, inquam, ille ob tantam comitatem tuam; quam tamen idem mihi ſignificans,

ad-

addere non dubitavit, Angelum Domini Angelo ſuo mandaſſe, ut ſe cuſtodiat in omnibus viis ſuis, non autem *in omnibus præcipitiis*. Idipſum forte Tibi jam reſpondit homo ille jocoſi, & venuſti ingenii, eoque, quemadmodum comperi quo die Jeſuitæ Bormienſes humaniſſime hoſpitio me exceperunt, uti amat frequenter inſectando in ſpeciem proterve, at benevole Probabiliſmi, quam illi paſſim tuentur, doctrinam; eaque res effecit, ut ego eidem ſeu ex equo cæteris frequentius deſcendenti, dum callem *gli Zappelli* interritus ipſe calcarem, ſeu ad radices montis, qua itur ad balnea Bormienſia, ob perſolvendum, ut ajebat, Divini Officii penſum ſubſiſtenti, exprobrare non omiſerim, ipſum vel in cautioribus hiſce conſiliis amplectendis aperire mihi velle, quam valde, & mordicus Probabilioriſtarum, & Tutioriſtarum Sectæ adhæreat. At dedecet Epiſtolam iſtam, quæ ſeria omnino argumenta pertractat, hujuſcemodi jocis abſolvi. Referam igitur ſtatim quid mihi nuperrime Lucerna ſcripſerit Præſul præſtantiſſimus, mihique amiciſſimus, Franciſcus Acciajolus, Archiepiſcopus Petræ in Arabia, & Apoſtolicus apud Helvetios Nuntius, de Cœnobitici Inſtituti in partibus iſtis gloria, atque ſplendore. Officioſe mihi primum exponit, meam ad Deſertinenſe tuum Cœnobium profectionem vehementer exoptaſſe Abbates etiam Einſidlenſem, atque Murenſem, quod confiderent ſuperatis jam Rheticis montibus facilem mihi acceſſum fore ad

eo-

eorum Cœnobia; ac tandem in hunc modum ſuas literas concludit: *L'Abbate poi di Diſentis, come ho detto, me ne fa tali eſpreſſioni, che certamente ho potuto comprenderlo nella maggior afflizione, mentre egli ſi era luſingato di aver certamente un tal onore, che avrebbe reſo ancora me infinitamente contento, e per la bramata occaſione che avrei avuta di ſervirla, e perche colla Preſenza avrebbe l'E.V. potuta pigliare una più giuſta Idea di queſti noſtri Monaſterj, e Monaci, che e per la diſciplina Monaſtica, e per li ſtudj poſſono con tutta verità dirſi il decoro, e ſoſtegno in queſte parti, sì maltrattate dall'Ereſìa, della noſtra Santa Cattolica Religione. Vorrei potermi conſolare per un altr' anno col „ quod differtur, non aufertur.* „ Poſtrema hæc verba me invitant, ut Te minime celem, literis, quas Roma huc pertulit ultimus tabellarius, nuntiatum mihi fuiſſe, minime deeſſe in ea Alma Urbe, qui jam vereantur, *che il Santuario di Tirano* (en earum verba) *divertiſca l' E.V. nell'Autunno proſſimo dalli Santuarj di S. Marco, Santa Praſſede, S. Gregorio, S. Aleſſio di Roma.* Abſit, ut mutato cœlo pium erga Templa illa animum mutem. Quid ergo, ais ipſe, proximo Autumno facies? Iraſcar, reſpondeo, niſi prius ſteteris ipſe conditioni, quam ſuperius explicavi, literis meis Te obtundam, vocabo, rogabo. Iterum quæris, quid facies?

*Quid facies, inquis? Quid faciam?* VENIAM. Bone Deus! ποῖον ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων. Vale.

*Brixiæ die* XXVI. *Maii* MDCCXLVII.

Vale iterum, & alacrem, hilaremque ſcribentis animum, quem forte Epiſtola mea iſta Tibi præſetulit, non quidem Rheticis vinis, e Val-Telinenſi ſolo procreatis, quibus proditur magnopere delectatum fuiſſe Cæſarem Auguſtum, quæque cum cellis Falernis quodammodo olim contendebant, ſed peracti a me in iſtis regionibus itineris jucunditati adſcribas, velim, indeque (per me licet) omen capias, ut poſt Adduæ in monte Bravlio fontes jam perveſtigatos, ad Rheni, prope Cœnobii tui fines orientis, multo celebriores illos inviſendos, antequam annus elabatur, accedam. Tertio Vale.

A01 1467684

Digitized by Google